

stum; sed ad Patrem sit referenda : vel, siquidem vox *Deus* cum Christo recte construitur, tamen non dicatur *Deus absolute*, sed cum restrictione *super omnia*, scilicet creata. Adhæc in posteriori rursus verba illa : *Hic est verus Deus*, referenda videntur ad Patrem, quantumvis sermo proxime fiat de Filio Dei, cum etiam in 2. Joan. v. 7. et alias pronomen *hic* non ad proximum, sed remotum substantivum pertineat.

Sed enim vanitas prioris patet; tum quia res ipsa ac series verborum, præsertim vero articulus cum participio ὁ ὄν, utpote relativus et sententiam inchoatam continuans, hanc interpretationem non admittit : tum quia τὸ *super omnia* adeo non limitat præminentiam Christi, ut potius ampliorem significationem habeat, quam τὸ *super omnes*, quod tamen in Ep. ad Ephes. 4. 6. Deo et Patri attributum, nemo pro limitatione divinitatis accipit. Nec minus inanem esse posteriorem exceptionem probat et scopus in ead. Ep. 1. 1. et 2. indicatus, et ineptia propositionis, quæ in Adversariorum sensu hæc foret : hic verus Deus est verus Deus. Porro, quod pronomen ὁδτος ad remotiora referatur, perraro accidit, et tunc fit præcipue, si propinquius *indirecte* tantum ac in obliquo sensum ingrediatur, ut fit in exemplo citato; cujus etiam significatio ita est aperta, ut neminem facile in fraudem inducat. Contraria omnia se produnt in propositione nostra.

3^a. Denique est contra probationem ex Act. 5. pro Spiritu sancti divinitate deductam. Nam 1^o. in Græco legitur ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, quod non significat mentiri Spiritui sancto, sed mentiri te et Spiritum sanctum vel fallere, vel simulare, scilicet propter hypocrisin : 2^o. Siquidem *Ananias* dicatur etiam esse mentitus Spiritui sancto, id duntaxat verum est quod Apostolis erat mentitus, in quibus Spiritus sanctus degebat. 3^o. Licet idem dicatur mentitus Spiritui sancto et Deo, non tamen recta est argumentatio ista : *Ananias* mentitus est Deo : *Ananias* eodem tempore mentitus est Spiritui sancto ; ergo Spiritus sanctus est Deus ; sicut, licet Exod. 16. dicatur populus murmurasse contra Moysen et Aaron una ac Deum, minus recte sic argumentaberis : Populus murmuravit contra Moysen et Aaron : populus eodem tempore murmuravit contra Deum ; ergo Moyses et Aaron sunt Deus.

Sed quod 1^{am}. exceptionem attinet, ipso *Wolzogenio* teste, mentiri Græce dicitur nunc cum Dativo, nunc cum Accusativo casu, sine aut cum præpositione *ad* vel *in* ; ut *Grotius* ex sacris, *Glassius* ex profanis Scriptoribus ostendit, ac in ipso Actorum Capite controverso ex versu 3. et 4. manifestum est, Bezaque in exemplaribus quibusdam particulam *in* adjectam testatur. Perperam itaque versio vulgata notatur erroris. Præterea *prior* substitutio nihil officit; cum, quem fallere quis vult, eidem mentiatur : *posterior* autem est falsa ; cum hypocrita quidem dicatur mentiri se aut simulare sanctum, non vero Spiritum sanctum. 2^a. Exceptio falsum dicit : quia Scriptura hic loci nomine Spiritus sancti non intelligit Apostolos, sed Deum, quem per disertam oppositionem distinguit ab hominibus. Hoc autem dissimulato, nihilominus tenet argumentum nostrum ; quoniam qui mentitur Spiritui sancto in Apostolis degenti, postea dicitur mentitus Deo. In 3^a. disparitas inter utramque argumentationem patet ex Scriptura, quæ distinguit Moysen et Aaron a Deo, non vero Spiritum sanctum ; sed homines duntaxat. Nam Exod. 16. 2. dicitur : *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra*

Moysen et Aaron, et v. 8. additur : *Nec contra nos murmur vestrum est, sed contra Dominum* ; cum Act. 5. 3. et 4. legatur : *Cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto... Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

ARTICULUS III.

AN TRES IN DIVINIS PERSONÆ SINT CONSUBSTANTIALES ?

352. *Nota.* Ομοούσια seu consubstantialitas ex nominis etymo juxta ac usu sive æqualitatem sive unitatem substantiæ significat, substantiam seu usiam accipiendi vel pro persona vel pro natura seu essentia. Unitas hæc alia est figurativa et impropria, alia vera ac propria : *figurativa* habetur vel per compositionem, vel per analogiam, vel per collectionem ; *vera* autem vel per mentis præcisionem et rationem specificam, vel per rei indivisionem et individuationem realem. In Divinis unitatem Personarum veram eamque individualement ac numericam statuerunt *Sabellius* et *Paulus Samosatenus*, et eatenus tres Personas dixerunt consubstantiales ; unitatem naturæ tantum figurativam admiserunt *Triformes* quidem per compositionem, *Ariani* per analogiam, et *Joachimus Abbas* per collectionem, et hinc tres Personas vel dicere consubstantiales recusarunt, vel tropica significatione acceperunt : eandem unitatem duntaxat *specificam* voluerunt *Tritheite*, ac proin tres Personas vere quidem secundum divinitatem æquales et eatenus consubstantiales dixerunt, divinitatem tamen ipsam non *unam numero* ac individualement aut immultiplicabilem, sed quoad rem divisam ac multiplicem decreverunt : unitatem tandem realem, numericam et individualement diviniæ naturæ amplectuntur *Catholici*, itaque dicunt Patrem, Filium et Spiritum sanctum esse consubstantiales, ut unus idemque numero sint Deus. Catholicum hoc dogma exposituri, argumento primum communi præcipue *figurativam*, tum proprio *mere intentionalem* unitatem diviniæ naturæ profligabimus.

353. *Dico I.* Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt vere consubstantiales, et unus idemque Deus, non tantum per *figuram*, sed per *veritatem* substantiæ.

Prob. Quibus asseritur in Divinis vera naturæ, operationis et attributorum unitas, vere consubstantiales sunt, et unus idemque Deus, non per figuram, sed per veritatem substantiæ ; quia juxta *Aug. Sermon. 38. de temp.* (al. *Alcuin. de Trinit. L. 1. c. 13. seqq.*) natura hic idem est ac essentia seu substantia, operationes vero physicam, attributa metaphysicam naturæ notionem explicant et probant : sed Patri, Filio ac Spiritui sancto in Divinis asseritur a Sacris Litteris et Traditione triplex illa unitas ; ergo, Assumptio asseritur quoad singulas partes.

Quoad 1^{am}. Ex 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in celo : Pater, Verbum et Spiritus sanctus, et hi tres unum sunt.* Unde *Epp. Africanus* in Libel. fid. ad *Huneric.* aiunt (*Labbe. t. 4. p. 4134. B.*) : *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur, ait namque : Tres sunt etc.* Consentiant *Fulgent. L. de Trin. c. 4.* et *Idacius, seu Vigilus*

TAPSENSIS adv. Varimad. Arian. L. 1. c. 5. — Item Joan. 10. 30. ait Christus: *Ego et Pater unum sumus*; ad quem locum CHRYS. hom. 61. in Joan. n. 2. ait: *Quare unum se esse cum Patre vi saltem ac potestate profiteri debet; nam de ea sermo erat: si autem eadem et una est virtus amborum, eadem quoque est substantia.* Similia habent AUG. cont. Serm. Arian. c. 9. et Tract. 20. in Joan. n. 3. CYRILL. ALEX. in hæc verba Joan. (opp. t. 4. p. 666. 667.) EPP. AFRICANI in Libell. fid. supr. cit. (Labb. t. 4. p. 1129. C).

Quoad 2^{am}. Ex 1. ad Cor. 12. 4. et seqq. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: et divisiones ministracionum sunt, idem vero Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus; et v. 11. Hæc autem omnia operatur unus idemque Spiritus: de quo AUG. L. cont. Serm. Arian. c. 13. inquit: *Universa Trinitas operata est, non quod invalidus sit unusquisque eorum sine aliis, quod operatur, implere: sed non potest operatio esse divisa, ubi non solum æqualis est, verum etiam indiscreta natura.* Adstipulantur ATHAN. de Incarn. cont. Arian. n. 14. et ep. 1. ad Serap. n. 30. BASIL. L. 3. cont. Emmom. n. 4. et L. 5. (opp. t. 1. p. 304.) et AMBR. L. 2. de Spiritu sancto c. 12. n. 138. seqq. — Item ex Joan. 5. ubi Christus dicit. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, et ego operor; et v. 19. Quaecumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit;* in quæ verba HILAR. L. 7. de Trin. n. 18. scribit: *Hæc est veræ nativitatis intelligentia et fidei nostræ, quæ ex naturæ divinæ unitate unius indifferentisque divinitatis veritatem in Patre et Filio consistitur, absolutissimum sacramentum, ut eadem faciendo Filius similiter faciat, et similiter faciendo eadem sint ipsa quæ faciat: quia sub una hac significatione testantur et similiter facta nativitatem, et eadem facta naturam.* Conspirant CYRILL. ALEX. L. 2. Comment. in Joan. (opp. t. 4. p. 238. 239.) et AUG. de Trin. L. 2. c. 1.*

Quoad 3^{am}. Ex Matth. 28. 19. *Baptizantes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti,* de quo PELAG. I. in Ep. ad Childeb. (Labb. t. 5. p. 803. E.) scribit: *In nomine inquit, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinæ essentiae nomen ostenderet, et Personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret.* Adde DIDYM. L. de Spiritu sancto, n. 23. 24. (opp. S. HIERON. t. 2.) et AMBR. L. 1. de fid. c. 1. n. 8. — Item Joan. 16. 15. Christus ait: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt;* et c. 17. 9. *Mea omnia tua sunt;* unde HILAR. L. 9. de Trin. n. 31. dicit, *Deum (h. e. divinitatem) in his intelligendum esse, quæ sua sunt in virtute, in æternitate, in providentia, in potestate.* Confer. ATHAN. Or. 3. cont. Arian. n. 4., AUGUST. cont. Maximin. L. 2. c. 9. n. 2. et CYRILL. ALEX. tum in Thesaur. (opp. t. 5. part. 1. p. 70.), tum L. 1. in Joan. c. 3. (opp. t. 4. p. 27.). — Rursus ex Joan. 14. 9. *Qui videt me, videt et Patrem;* inde CYRILL. in Thesaur. (p. 114.): *Filius enim habens proprietatem essentiae Patris citra ullam differentiam, est perfecta imago Patris et forma genitoris, totum in se genitorem referens, atque exprimens.* Adde HILAR. L. 7. de Trin. n. 5. et MAXIM. TAURIN. hom. 77. de S. Eusebio. — Denique ex Joan. 10. 38. *Pater in me est, et ego in Patre;* cui subjicit BERN. serm. 5. de verb. Isaia: *Non potuit expressius unitas commendari: ubi enim uterque in altero, nihil quasi exterius licet, nihil interius cogitari; simplicissimum magis credi necesse est in ambobus substantiae unitatem.* Accedunt ATHAN. Or. 3. cont. Arian. n. 5. HILAR. L. 3. n. 4. L. 7. n. 27. et 31. de Trin. ac L. cont. Constantium n. 18.

Conf. Concilia, Patres et Ratio refutant unitatem in divinis mere figurativam.

Imprimis enim MARTINUS I. in Conc. Lateranensi Secret. 1. prolocutus, ex Basilio docet, *divinam naturam ab omni compositione esse mundam* (Labb. t. 6. p. 86. B.); et SOPHON. in ep. ad Sergium, in Conc. Constantinopolitani III. Act. 11. lecta, enunniat: *Neque secundum quod Trinitas est unus Deus, dicitur coarctatus, sive compositus vel confusus* (Labb. ib. p. 857. C.): Concilium autem Nicænum ac Constantinopolitanum I. in Symbolis statuunt Filium Patri *consubstantialem*; quod Ephesinum in ep. ad Nestorium et anathematismo 1., Chalcedonense Act. 2. et 16., Constantinopolitanum II. Act. 3. in Prof. fidei et Act. 8. Can. 1. repetunt: Conc. Lateranense IV. tandem, ubi Joachimi Abbatis sententiam, qua inter cætera unitatem in Divinis *non veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam* statuuit, retulisset ac refutasset, sic definit: *Si quis igitur sententiam vel doctrinam præfati Joachimi in hac parte defendere vel approbare præsumperit, tanquam hæreticus ab omnibus evitetur* (Labb. t. 11. part. 1. p. 145. A.).

Deinde ex Patribus AMBR. ep. 81. n. 8. inquit: *Trinitas incompositæ naturæ corrumpi non potest; quia Deus unum et simplex et incompositum est, quicquid est.* BASIL. ep. 141. (al. 8. n. 3.) scribit: *Porro identitatem naturæ confitentis, et consubstantiale recipimus, et compositionem effugimus; cum is qui secundum substantiam Deus est et Pater, eum genuerit qui secundum substantiam Deus est et Filius.* FULGENT. in Resp. ad object. 7. Arian. profitetur: *Vera et æterna substantia, de qua vera nativitas extulit, sicut generando minui dividique non potuit, ita in se tota permanens totam se coæternæ veritati nativitatis indulsit: ut scilicet gignentis genitique non solum æqualitas absque diversitate consisteret, sed etiam sine confusione detrimentoque naturalis unitas permaneret.*

Denique ratio desumitur ex simplicitate, proprietate ac unicitate Dei; quarum singulas vel in præcedenti Tractatu stabilivimus: simplicitas autem compositionem, proprietas analogiam, et unicitas collectionem excludunt. Præterea Trinitatis mysterium (quod tamen Patres ubique notant) nihil jam admirationis haberet, nec excluderet humanam rationem, nec simile quid in creaturis respueret, si in Divinis *figurativa* duntaxat unitas obtineret. V. PETAVIUM de Trin. L. 4. c. 13. 14.

354. Dico II. Pater, Filius et Spiritus sanctus in Divinis sunt omnino consubstantiales, et unus idemque Deus unitate non tantum *specifica* et per rationem, sed *numerica* et a parte rei.

Prob. Tam communes quam speciales notiones unitatis numericae ac realis asseruntur naturæ divinæ in tribus Personis subsistenti. *Priores* sunt 1^o. *INDIVIDUATIO*; de qua loquitur GREG. NYSS. L. quod non sint tres Dii, ad Ablabium (opp. t. 3. p. 17. D.): *Natura una est, ipsa secum unita, penitusque ac prorsus unitas individua est... quæ non una cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur*: NAZIAN. Or. 45. (al. ep. 243. opp. t. 2. p. 197. C.): *Simplex Dei essentia, individua, uniusque modi*: HILARIUS de Trin. *Individua et non dividua natura Dei* etc. 2^o. *SINGULARITAS*; quam testatur AUCTOR L. de div. Nom. c. 1. §. 4.: *In omni ferme Theologica tractatione divinitatem ipsam*

sancte collaudatam cernimus; ut monadem quidem ac unitatem propter supernaturalis individui sui simplicitatem. JOANN. MAXENT. Dial. 2. (Biblioth. magna PP. t. 4. part. 1. p. 486. A.). Trinitatem secundum Personas discernimus et numeramus, quam tamen secundum naturam, quæ una et sola est, nec discernimus, nec numeramus; quia unitas sive singularitas... nec discernitur, nec numeratur. ANSEL. L. de Process. Spiritus sancti, c. 27. Pater, Filius et Spiritus sanctus, per hoc quia, cum est Deus, in Deo non est nisi unus Deus, servant in Deitate ad similitudinem unius hominis singularitatem etc. 3^o. UNITAS NATURALIS SEU REALIS; quam intelligunt MARTIN. I. in Conc. Lateran. Secret. 5. dicens: *Hæc enim erat voluntas Dei Patris et ipsius unigeniti Filii et Spiritus sancti, id est, unius sine initio et naturaliter Deitatis* (Labb. t. 6. p. 346. A.). FULG. L. de Fid. c. 4. n. 4. *Ob hoc tres unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus æternitas, una immensitas, et una naturaliter est trium Personarum divinitas.* PATRES CONC. TOLETANI XI. in Præf. (Labb. t. 6. p. 641. A.) credunt Trinitatem unum Deum naturaliter esse unius substantiæ, unius naturæ, unius quoque majestatis atque virtutis.

Notiones posteriores sunt 1^o. UNITAS SINE NUMERO; quam indignant MARIUS VICTOR L. 3. cont. Arium, n. 4. *Omnia ibi substantialiter simplicia, inconneæ, cum numero unum, nec numero unum, sed ante numerum unum*: BASIL. ep. 141. (al. 8. n. 2.): *Nos unum Deum non numero, sed natura profitemur: quidquid enim numero unum dicitur, hoc revera unum non est, neque natura simplex*: SOPHRON. in ep. ad Sergium (Labb. t. 6. p. 860. B.): *Singularitas ipsius substantiæ et naturæ numerari omnino respuit, ne differentiam deitatis inducat et Deorum multitudinem efficiat: omnis enim numerus differentiam habet adjunctam, et omnis distinctio aut differentia congenitum secum numerum etc.* 2^o. UNITAS CUM EXCESSU; cujus meminerunt AUCTOR L. de div. Nom. c. 1. §. 1. et 4. *Unitas effectrix universæ unitatis....* (hanc) collaudatam cernimus ut monadem quidem ac unitatem, propter supernaturalis individui sui simplicitatem. Idem et BASIL. ep. 141. (al. 8.) divinitatis unitatem vocat *μονάδα* et *ἐνάδα*, h. e. perfectissimam singularitatem et unitatem. JOAN. CYPARISSIOTA Decade 9. cap. 10. *Unam essentiam actu dico magis unam, quam quæ maxime omnium singularis etc.* 3^o. UNITAS EX IDENTITATE, quam prædicant NAZ. Or. 31. n. 46. de suppositis divinis dicens: *Horum quodlibet unitatem habet non minus ejus, cum quo conjungitur, quam sui ipsius respectu, propter essentiæ et potentiæ identitatem*: SOPHRON. in ep. cit. (p. 857. E.): *Bene a Deiloquis sancitum est, unitatem nos sapere una et singulari deitate ac identitate essentialis atque naturalis dominationis: denique ταυτότητα καὶ ταυτόν, h. e. identitatem ac idem in Deo secundum substantiam ac naturam* BASIL. ep. cit. et CYRIL. L. 3. et 5. Comment. in Joan. aliique passim celebrant. V. PETAV. de Trinit. L. 4. c. 13. 14.

Conf. Ex dogmatibus sive absolute sive comparative assumptis.

1^{ae}. CLASSIS argumentum 1^{um}. est: Deus verus non est nisi unus, singularis et numero unicus; ut ex fidei ac rationis principiis probatum dedimus in Tr. de Deo uno: sed Pater, Filius et Spiritus sanctus sunt verus Deus; ergo non sunt nisi unus singularis et unicus numero Deus. 2^{um}. Quando proprie et absolute loquimur, non sunt asserendæ in Deo tres essentiæ, naturæ, aut substantiæ: sed si tres Personæ in Divinis non forent unus idemque Deus unitate numerica, asserendæ essent tres essentiæ, naturæ, aut substantiæ;

ergo. Assumptio patet et conceditur: Propositio autem *universim* constat tum ex symbolis et fidei professionibus, tres quidem Personas sed unam ex opposito essentiam, naturam aut substantiam enuntiantibus; tum ex Ep. SOPHRONI ad Sergium, quam in Conc. Constantinopolitano II. Actione 11. recitatam et probatam diximus. Speciatim vero de *Essentia* legantur AUG. L. 7. de Trin. c. 4. et 6., ATHAN. de defin. c. 4. n. 8. (opp. t. 2.). FULG. de fid. ad Donat. c. 3., DAMASC. de fide orth. L. 3. c. 5., ANSEL. in Monol. c. 76. De *Natura* ATHAN. Dial. 4. de Trin., NAZ. Or. 23. 33. 31., NYSSEN. L. de Trin. et L. ad Ablab., BASIL. L. 1. 3. et 5. cont. Eunom. De *Substantia* TOLETAN. VI. cap. 1. et XI. in Præf., BASIL. L. 4. cont. Eunom., HIERON. ep. 57. ad Damasum (al. 45.). AUG. Serm. 38. de temp. (al. ALCUIN. de fid. SS. Trin. L. 1.) et L. 5. de Trin. c. 9. 3^{um}. Qui specie tantum non autem numero unum sunt, in iis unitas est secundum rationem, distinctio quoad rem, et perfectio major in tribus, quam in uno aut duobus; ut patet in specifica unitate angelorum vel hominum: sed nihil istorum habetur in Deo seu in Trinitate respectu essentiæ ac naturæ; ergo. Assumptionis partes priores exponuntur a NAZ. Orat. 31. ample, brevius autem a DAMASCENO, L. 1. de fid. c. 11. (al. c. 8. opp. t. 1. p. 139. edit. Ven.). Pars posterior explicatur ab AUG. sæpius, præsertim autem L. 7. de Trinit. c. 6. Adde Conc. Tolet. VI. et XI.

2^{ae}. CLASSIS argumentum 1^{um}. est: Sancti Patres fidem catholicam ita mediam inter Judæorum et Sabellianorum ex una, et Gentilium ac Arianorum ex altera parte errores statuerunt, ut, sublato eo quod falsum et nefarium est, ex utraque sibi ipsa retineret quod verum ac pium foret: sed ut sic mediam assererent, neganda erat unitas personalis ac naturæ Trinitas, affirmanda vero cum Personarum Trinitate unitas *numerica*; ergo fides catholica tenet cum Trinitate Personarum numericam ac singularem naturæ unitatem. Discimus hæc ex NAZIAN. Or. 21. n. 13. fidem Athanasii prædicante; similia FULG. L. ad Donat. (al. ep. 8. c. 12.) scribit. 2^{um}. Orta post sec. quarti medium controversia inter Antiochiæ Doctores, et postmodum inter Orientis ac Occidentis Præsules divulgata, aliis unam divinitatis hypostasin, aliis tres asserentibus (ubi defensores utriusque partis auditi et sententiarum expositiones perceptæ fuerant) facile ac penitus sublata fuit; cum intelligeretur priores nomine hypostasis naturam et usiam, posteriores autem proprietates ac subsistentias Personarum accepisse, ut ATHANASIUS et Alexandrina Synodus in ep. synodica ad Antiochenos data testantur (Labb. t. 2. p. 813. C. 814.): Sed hæc ipsa controversia et eam componendi facilitas ostendit, convenisse utramque partem de *singularitate* naturæ divinæ ac individua unitate; ut etiam BASIL. ep. 325. (al. 238.) et NAZ. Or. 42. n. 16. declarant; ergo. 3^{um}. Una est in tribus Personis essentia, sicut in duabus naturis una est Christi Persona: sed Persona in Christo est *numerice* una, sicut naturæ numero sunt duæ; ergo et natura in Trinitate est una numerice, sicut Personæ numero sunt tres. Eam in rem vide VINCENT. LIRIN. in Commonitorio n. 13. NAZIAN. Or. 51. (al. ep. 102. ad Cledon. 2^a), et RUSTICUM DIAC. in Disput. cont. Acephalos. (Biblioth. magna PP. t. 4. part. 1^a. p. 795. seqq.). 4^{um}. Ratio naturæ non minus in Trinitate quam in Christo est mensura voluntatis et operationis; ergo sicut in Christo duplex natura est ratio du-

plicis voluntatis et operationis, ac vicissim; sic item una in Trinitate natura est ratio unius voluntatis et operationis. Atqui una, eadem et identica est voluntas et operatio Trinitatis; ergo et talis est natura. Enthymema fuit argumentum Catholicorum contra *Monothelitas*, tum in Conc. Lateran. sub Martino I. (Lab. t. 6.), tum in Constantinopolitano III., ut in hujus Act. 4. Litteræ Agathonis recitatæ docent (Lab. t. 6. p. 684. D). Subsumptum autem patet tum ex num. priore, tum ex majore unitate concedenda voluntati et operationi in Deo, quam quæ iisdem conveniat in Christo. 5^{um}. In Patre et Filio principium spirandi est unicum et ipsa etiam Spiratio unica, et neutrum duplex; ergo etiam in tribus Personis unica est natura ac Deitas, non autem trina aut triplex. *Ant.* patet ex Conc. Flor. Decreto Unionis (Lab. t. 43. p. 514.), ubi explicatur sensus utriusque Ecclesiæ: *Græci quidem asseruerunt, quod id quod dicunt, Spiritum sanctum ex Patre procedere, non hac mente proferunt, ut excludant Filium; sed quia eis videbatur, ut aiunt, Latinos asserere Spiritum sanctum ex Patre et Filio procedere tanquam ex duobus principiis et duabus Spirationibus, ideo abstinuerunt a dicendo, quod Spiritus sanctus ex Patre procedat et Filio. Latini vero affirmarunt, non se hac mente dicere Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere, ut excludant Patrem, quin sit fons etc. sive quod duo ponant esse principia seu duas Spirationes; sed unum tantum asserant esse principium unicamque Spirationem Spiritus sancti.* Et post in ipsa definitione: *Quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio æternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens ex Patre simul et Filio et ex utroque tanquam ab uno principio et unica Spiratione procedit.* Patet *Cons.*, quia sicut principium spirandi est commune Patri et Filio, sic natura et Deitas est communis tribus Personis: imo in hac considerantur unice ad se, cum in illo principia considerentur ad alium.

355. *Obj. contra 1^{um}.* Ex Scripturæ textibus allatis non probatur unitas naturæ, sed duntaxat vel testimonii, vel consensus, vel charitatis; quod patet partim ex comparatione versus ep. 1. Joan. 5. cum versu 8.: *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis: et hi tres unum sunt: partim ex similitudine Joan. 17. 21. proposita: Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.* Accedit quod L. 3. Reg. 22. 5. dicatur: *Populus meus et populus tuus unum sunt;* 1. ad Cor. 6. 17. *Qui adheret Deo, unus spiritus est;* et c. 10. 17. *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus etc.*

R. N. *Ass.* Ad comparationem textuum, de primo disparitas est; sive quod versus octavus, notante jam D. THOMA in Comment. ad Decretalem 2^{um}, a multis exemplaribus absit: sive quod in Græcis exemplaribus non paucis in versu octavo legatur *ἐξ τῶ ἐν, hi tres in unum sunt;* sive quod textus in sensu figurativo sit accipiendus, Patrem per spiritum, Filium per sanguinem, et Spiritum sanctum per aquam intelligendo, ut Aug. L. 2. c. 22. n. 3. cont. Maximin. et hunc secutus FACUND. HERMIAN. L. 1. pro defens. trium Capitul. c. 3. exponunt, aut cum AMBR. L. 1. de Spiritu sancto, c. 6. n. 77. et LEONE in ep. 28. ad Flavian. c. 5. mysticam aliam significationem assumendo: sive quod in sensu litterali acceptus non aliam denotet unitatem, quam quæ

convenire possit et propria sit: nequit autem creaturis convenire unitas individua, quam Deo tamen propriam esse ratio ac fides docet.

De secundo textu eadem est disparitas jam assignata in Conc. Later. IV.; ubi c. 2. (Lab. t. 44. part. 1^a. p. 145. C.) dicitur: *Cum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat.... hoc nomen unum pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia; pro Personis vero divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum alibi Veritas ait: Estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est, ac si diceret: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ, utraque videlicet suo modo: quia inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin.... inter eos major sit dissimilitudo notanda.* Hinc patet etiam responsio ad textus reliquos; circa quos notari quoque potest regula alia, quam Aug. L. 2. cont. Maxim. c. 20. proponit.

Inst. 1. Vox *ὑμοούσιος* non legitur in Scriptura; est omnino nova et Veteribus incognita; etiam rejecta ab Antiochenis et Ariminensibus Patribus; rejicienda ab omnibus ob erroneam aut saltem ambiguam significationem; ergo.

R. Quoad 1^{um}. D. Vox *ὑμοούσιος* non legitur in Scriptura quoad vim et significationem N. quoad litteras et sonum C. Hoc tamen nec requiri nec obstare, liquet ex verbis *Trinitatis, Deiparæ*, aliisque similibus receptis; præsertim cum Ecclesia eandem vocem adoptarit. Hæretici autem voces nec in littera nec in sensu Scripturæ fundatas usurpant, ut ATHAN. in ep. ad Afros n. 6. et L. de Syn. n. 36. atque AMBROS. L. 1. de fid. c. 19. in Arianos retorquent.

Quoad 2^{um}. R. D. Est nova hæc vox simpliciter et quoad substantiam N. quodam modo et quoad accidens seu usurpationis universalitatem T. Jam enim JUSTIN. in Dial. cum Tryph. Trinitatem dixit *coessentialem*, et ORIG. de recta in Deum fide *Verbum consubstantiale*, et EUSEB. CÆSAR. apud Theodoret. L. 1. hist. Eccl. c. 12. fatetur *quosdam ex priscis eruditos et præclaros Antistites aliosque Scriptores, de Patris et Filii Deitate loquentes, voce ὑμοούσιος esse usos.* Quanquam si hæc deessent, audiendus hic foret HILARIUS L. cont. Constant. n. 16. scribens: *Numquid ex hoc negandum erit, quia novum est? Decernis similem Patri Filium: Evangelia non prædicant: quid est quod non refugis hanc vocem? in uno novitas eligitur, in alio submovetur. Ubi occasio impietatis patet, novitas admittitur: ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur.*

Quoad 3^{um}. D. Rejecta est vel alio in sensu, vel errore facti C. in sensu hic proposito et juris veritate N. Consubstantialitas *personalis* ac in sensu Pauli Samosatani reprobata est ab Antiochenis contra eundem sec. tertio congregatis: Consobstantialitas autem *essentialis*, non quidem reprobata, sed suppressa aut ommissa fuit Arimini a Patribus Catholicis, per æquipollens fidei consultum ratis, sed Arianorum perfidia deceptis. Similem quemdam errorem accidisse CONSTANTINO M. ante Conc. Nicænum, testatur ejus epistola ad Alexandrum et Arium data, quem tamen Concilii definitione de veritate certior factus postea exiit, ut ex Concilii Actis et datis ad Orthodoxos contra Arium litteris constat.

Quoad 4^{um}. N. *Ass.* Sensus enim erroneus huic voci affictus ab Arianis est